Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38125
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



54

locum. & nomen meum & filium & filiabus.
nomen sempiternum dabo eis. quod non auferetur; de quo uidelicet loco ac nomine & euangelista iohannes. qui erat unus ex ipsis. re
fert audisse se cantantes eos canticum nouum
ante sedem dei. qd nemo alius poterat,
Statimq; adiunxit. hi sunt qui cum mulieribus
non sunt coinquinati. uirgines enim sunt. hi
sunt qui sequuntur agnum quocumq; abierit.
merito ergo pellis hyacinthinis suppremum
in domo dei locum tenent. colorq; caelestis
proximam caelo sedem sortitus est. ut chori
uirginalis & animi & corporis specialis uicinia
agnum sequuti. & ymnorum eius laudes desig
nentur esse cantaturi. Bene autem de uelis
cortinarum ac sagorum dicitur. quod & si in al
to posita. ad terram tamen demissa penderent.
quamuis cortinae nequaquam ad terram usq;
pertingere potuerint. Columnae quoq;
ac tabulae tabernaculi. & si in altum erant
erectae. bases tamen in quibus starent habebant
in terra positas, At uero de rubricatis atq;
hyacinthinis pellibus. qd in alto tectum
operient dicitur. quod uero ad terram essent